

COMMENTARIUS IN JEREMIA
CAPUT XLVII.

Nexus & Argumentum.

IN præcedenti capite *Aegyptiis* hostibus populo DEI versus meridiem: In hoc verò *Philistæis* ejus hostibus occasum versus, itemq; *Tyriis* & *Sidonis* in *Syria* clades sua prædicitur. Totum caput est *ωροφητικὸν* & *ἀπὸ πληθικόν*.

Ἐποκείμενον γένος.

Ἐποκείμενον γένος hujus capituli principale sunt *Philistæi*, qui ortum ducunt suum à *Mizraim* filio *Chami* *Gen. 10. vs. 14.* sic dicti ab hebræo *פְּלִשְׁתִּים* i. e. *pulvere se volutavit & volutando contaminavit*: Quæ *Etymologia* rectè quadrat in hunc populum propter curas hujus seculi & abominaciones Idololatrias, quibus se *Philistæi* volutarunt scedissimeq; contaminarunt. Irruperunt in *Palestinam* sedemq; rerum ac fortunarum suarum inibi collocarunt propè littus *Maris mediterranei* ex parte *Occidentali*; in hoc capite appellantur reliquæ *Caphthorim*, qui populus *Philistæis* cognarus *Gen. 10, 14.* Urbes eorum quinq; in *Scripturâ* celebrantur, quarum 1. *Asdod.* 2. *Ascalon.* 3. *Gad.* 4. *Gaza.* 5. *Ekron.*

Partitio Capituli.

Prædictio hæc complectitur 1. *Inscriptionem* vs. 1. & 2. *Cladis ipsius descriptionem* inde usq; ad finem capituli.

Usus.

Usus hujus capituli, sicut & sequentium usq;ve ad ultimum, ex iis, quæ de causis, ob quas *Prophetæ* exteris etiam populis concionati, in præcedente capite dicta sunt, petatur.

DE INSCRIPTIONE.

Inscriptio est *χρονολογική*: Exprimit enim tempus hujus adversus *Philistæos* & eorum socios ac vicinos *Prophetiæ*, quæ à *Ieremia* edita tempore *Iosia*, anteqvàm *Gaza* à *Nerone Rege Aegyptio* expugnaretur; id quod factum in primâ ejus expeditione vivo adhuc *Iosia*, qui tamen paulò post in expeditione illâ adversus *Affyrios* continuatâ occubuit *2. Reg. 23. vs. 29.* & *2. Chron. 23. vs. 20.* & seqq. *Gaza* verò fuit *urbs Philistæorum* undecimo lapide ab *Hierosolyma*, sic dicta à robore & firmitudine, quod fuerit præcipuum *Philistæo-*

YU778